instinctu indita. Quid enim Schemaes[?] aliud nos docent
quam in Sole ignem esse. Quid flamma, nisi aestum? Quid
aliud Sphaeras nisi ardorem indicabit intensissimum? Cum ipsa
Sacri Textus pagina in Ecclesiastico satis aperte nos do-
ceat, Solem admirabile opus excelsi esse, quod in meridie exu-
rat terras, suoque ardore efficiat, ut nemo conspectum ipsius
sustinere possit. Quid quod et Sancta Mater Ecclesia palam
ac coram ~~[illegible]~~ in Hymno suo asserat: Jam Sol recedit
igneus. Possem et integrum hic Patrum ita sentientium
Catalogum attexere: nisi satis abunde in Rosa Ursina
id praestitisset Scheinerus. O quanto quamque incredibili
amoris calore repletum est Boni Principis Pectus! quan-
to, quamque ardentissimo flagrat ardore! quam fervet tan-
tus studio augendi Rempubl. suam, si judicium in minori-
bus etiam rebus curam esse sinit, si sedulo semper prospi-
cit, ut subjectis non in praesenti solum, sed in posterum quo-
que bene sit, in praesenti quidem secura ac tranquilla vita,
in posterum vero provido consilio ipsis consulens. Ita
scil. salva magnitudine sua ad curas Subditorum Optimus
Princeps Trajanus, Juniori referente Plinio descende-
bat: cum jus ipsis daret, referendi ad se, de quibus du-
bitarent. Nec minus et calorem subditis suis Bonus im-
pertitur Princeps: si minime segnis, sed subditos
ab hostium injuriis perdius et pernox sine mora defen-
dit, ipse memor illius, quod Silius Italicus cum apostropha
ad Hannibalem his habet verbis

Turpe duci totam somno consumere noctem
O Rector Libyae, vigili stant bella Magistro

Vigilantia nimirum inque expediendis rebus civilibus pru-
dens celeritas bonum maxime commendat Principem.
Et quanquam novam de Hannibale olim victoriam Fa-
bius comminisceretur, ipseque et nomen inde ac salutare Rei-
publicae cognomen impetraret, ut Cunctator vocaretur.
Per somnium namque totum per Falernos Gauranosque Sal.